

No. 537. 1361. 10. Nov.

*Das Capitel verpflichtet sich zu Abhaltung der in No. 535 vorgeschriebenen Jahresgedächtnisse.*

In nomine domini amen. Noverint inspectores et auditores praesentium universi, quod nos dei gratia Johannes de Strel praepositus, Theodericus de Goch decanus, Palbertus de Mulhusin cantor, Theodericus de Cappelndorf scolasticus, Henricus de Slynicz archidiaconus Nisicensis, Albertus Knüt praepositus Budissinensis, Johannes de Draynicz custos, Fredericus de Miltiez praepositus Wurczinensis, Conradus Pruze praepositus Haynensis, Conradus de Walhusin vel de Kirchberg dictus archidiaconus Lusaciae, Jerko de Wolfticz, Wernherus de Ertmarstorf, Bertoldus Wilde canonici totumque capitulum ecclesiae Missnensis indulti et consensus incliti principis domini Ludewici Romani marchionis Brandenburgensis beneficium de praepositura seu ecclesia parrochiali in Lubbin cum suis redditibus obventionibus iuribus pertinentiis consuetudinibus et honoribus universis archidiaconatui Lusatae unienda et incorporanda factum spirituali remuneratione reconpensare sicut decet et expedit cupientes, de reverendi patris ac domini nostri domini Johannis episcopi totiusque capituli nostri Missnensis consilio unanimi et consensu ad hoc nos benivole astrinximus et obligavimus et nihilominus harum astringimus et obligamus serie litterarum, quod dominus Conradus praefatus postquam praepositurae vel ecclesiae parrochialis in Lubbin praedictae possessionem pacificam adeptus fuerit, et quilibet ipsius in archidiaconatu eodem successor — mox post collationem uni canonicorum nostrorum de archidiaconatu memorato, cuius collatio ad episcopum nostrum Missnensem, qui pro tempore fuerit spectare dinoscitur factam, sicut praefatus dominus Conradus se actu astrinxit ad anniversarium progenitorum ipsius heredum et successorum suorum et specialiter quondam Ludewici marchionis Brandenburgensis fratris ipsius, qui sabbato ante diem beati Mathei apostoli diem clausit extremum, in ecclesia Missnensi praedicta annis singulis cum vigiliarum commemorationis et missarum sollempniis consuetis et debitis peragendum bona fide et benivole et sub obedientiae debito se astringent, ipseque dominus Conradus archidiaconus Lusatae supradictus et singuli eius successores die praedicta, qua dominus Ludewicus marchio Brandenburgensis decessit, et postmodum die mortis dicti domini Romani et ultimo die obitus domini Ottonis fratris sui marchionis Brandenburgensis cum vigiliarum commemorationis et missarum sollempniis consuetis et debitis panno serico et candelis apposisis annis singulis ibidem Missnae perpetuis temporibus peragere tenebuntur. Ad observationem igitur praemissorum inviolabilem nos et successores nostros de capituli nostri consensu, confirmatione domini nostri Johannis episcopi Missnensis subsecuta, bona fide obligamus, dicti capituli nostri sigillum maius praesenti paginae duximus appendendum, praesentibus et testibus honorabilibus et discretis viris dominis Syffrido et Alberto episcopalibus, Conrado Reczen, Petro Tammynhain et magistro Hermanno de Nova Civitate perpetuis vicariis ecclesiae Missnensis praefatae. Actum et datum Missnae anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo primo decima die mensis Novenbris.

Nach dem Orig. im K. Geh. Staatsarchiv zu Berlin mit dem ziemlich wohl erhaltenen Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.